

Hypotheses, quas aliqui excogitarunt ad vim elidendam hujus argumenti, ut si diminutio fieret per substitutionem gradus gratiae inferioris ordinis vel per divisionem proportionalem graduum ejusdem gratiae sine fine v. g. primo auferretur dimidia pars, secundo quarta, tertio octava, etc., ita ut numquam perveniretur ad finem divisionis, ut gratis confictae, nullo argumento fulcitae, imo prima contraria sensui obvio Conciliorum et Patrum non admittenti gratias sanctificantes diversae speciei, secunda contraria conceptui divinae retributionis, quae est secundum proportionem arithmeticam, non geometricam, gratis negantur.

3.º A priori cum D. Thoma (1); charitas convertit hominem ad Deum ut ultimum finem et quamvis intensior fiat non est nisi una perfectior conversio in eundem finem. Ergo nulla conversio actualis ad commutabile bonum est opposita et repugnans intensae etiam charitati, nisi quae includit moralem aversionem a Deo, ut ab ultimo fine; ergo non repugnat habituali conversioni charitatis ad ultimum finem peccatum veniale, quod licet multiplicetur numquam pertingit ad moralem aversionem ab ultimo fine: ergo non minuit charitatem nec per se ad talem remissionem disponit. Breviter et dilucide Angelicus: «Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo avertat se ab ipso. Unde qui inordinate se habet circa ea, quae sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad ultimum finem (2).»

24. Quaeres. Quomodo virtutes per se infusae subsint libero arbitrio?

Resp. Quatenus a voluntate pendet virtutes infusae exerere actum vel non, intensum vel minus intensum seu remissum elicere, cum voluntas positus ad agendum omnibus requisitis, ad libere operandum juxta suum arbitrium se determinat. Ratio est, quia si aliter fieret, voluntas non maneret libera ad actus, qui a virtutibus per se infusis coefferentur. Unde si voluntas excitatur ad agendum et libere consentit operari propter motivum formale alicujus virtutis per se infusae, hujus concursus praesto est illumque impedire non valet; cum virtus per se infusa necessariò concurrat ad actus suum motivum formale respicientes (3).

(1) 2, 2, Q. 24, a. 10.—(2) Vid. Lugo, De fide, D. 16, n. 87.—(3) Vid. Ripaldam. De ent. supern. D. 125; Card. Mazella. De virtut. infus. nn. 174.

PARS I.

De virtutibus theologicis.

CAPUT I.

De fide divina.

25. Prooemium. Inter virtutes theologicas primum locum obtinet fides, non dignitatis, major enim est charitas, sed generationis et ordinis; nam est fundamentum et basis totius aedificii spiritualis, propter quod *substantia rerum sperandarum* (1) ab Apostolo nominatur.

Fides varie accipitur, praecipue; 1.º Pro fidelitate seu veracitate in dictis et in promissis servanda. Ita Cicero (2); «Fides est doctorum et conventorum constantia et veritas.» Et in Levitico (3): *Anima quae peccaverit, et contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat*, etc. 2.º Juxta aliquos catholicos sumitur etiam in Scriptura pro fiducia seu firma spe eventus rei promissae, sic S. Jacobus (4): *Postulet in fide nihil haesitans*. Dixi juxta aliquos, nam pie et probabiliter aliter sentiunt Bellarminus aliique theologi, non admittentes hanc significationem fidei saltem in usu sacrae Scripturae (5).—3.º Pro conscientia seu dictamine practice certo de liceitate propriae actionis; ut Paulus ad Rom. XIV, 23: *Omne quod non est ex fide*

(1) Hebrae, XI, 1.—(2) L. 1, offic.—(3) VI, 2.—(4) I, 6.—(5) Et recte, ut exponit Suarius (De fide D. 1, nn. 6, 8), nam Paulus (I. Timoth. III, 13) perfecte distinguit fidem a fiducia. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam in fide, quae est in Christo Jesu*. Ergo cum Jacobus dicit in fide, non modo potest, sed valde probabiliter debet intelligi de vera fide si nihil obstat. Jam vero nihil obstat, etenim ad orandum fides est necessaria; verba, quae adduntur *nihil haesitans* optimam habent expositionem tum de ipsa fide orationi necessaria, tum de non haesitatione in ipso affectu orandi; id enim potuit dicere Jacobus, non quia fides illa sit fiducia, sed quia est radix fiduciae et quia ex perfecta consideratione fidei, et bonitatis ac benignitatis Dei, quam fides docet, provenit ut fidelis oret cum firmo affectu et sine haesitatione, sicut Petrus dixit (I.ª V, 9). *Cui (diabolo) resistite fortes in fide*.

peccatum est.—4.º Pro assensu ob testimonium loquentis, quod si est hominis erit fides humana, si Dei divina; de hac Paulus ad Hebraeos XI, 3: *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei.*—5.º Pro habitu seu virtute istius assensus elicitive, ut Paulus in prima ad Corinthios XIII, 13: *Nunc autem manent fides, spes, etc.*—6.º Pro objecto istius assensus, seu pro doctrina fidei, quemadmodum Paulus ad Galat. (1). *Ex auditu fidei;* et S. Athanasius symbolum fidei proponens: «Haec est fides catholica, etc.»

Tres acceptiones postremae utpote continent objectum, actum et virtutem fidei divinae erunt materia hujus capituli, cui veluti brevem conspectum eorum, quae adstruere debemus, definitionem concil. Vaticani (2) praefigendam censi: «Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.»

Hujus fidei excellentia et praestantia, quam plures hodie, dum non verentur tamquam progressum scientificum recipere se non esse nisi perfectiores simias, repudiant et contemnunt, *animalis autem homo*, jam dixerat Apostolus (3), *non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*, tanta est quanta dici nequit ut erudite perpendit et explanat P. Hurter (4). Et sane: a) Fides est fundamentum Ecclesiae adversus quam *portae inferi non praevalent* (Matth. XVI, 18). Est radix arboris illius magnae et fortis, quam Nabuchodonosor vidit in somnio (Dan. IV). b) Est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis. Quod ratio est in ordine naturali, idem est fides secundum quamdam analogiam in ordine supernaturali. c) Est aurora quaedam atque anticipatio visionis beatificae, nam *haec est vita aeterna: ut cognoscat te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII, 3). d) Est novus quidam oculus, novus sensus, nova quaedam mens (I.º Joann. V, 20), quae quot et quanta attingat expressit S. Bernardus (serm. 76 in Cant. n. 6): «Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique aeternitatem suo illo sinu vastissimo quodammodo circumcludit. Fidenter dixerim aeternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo: et fide teneo,

(1) III, 2.—(2) Const. *Dei Filius*, cap. 3.—(3) I.º Cor. II, 14.—(4) Medulla Theol. dogm. n. 367; Compend. Theol. V, 5, n. 609.

»quam non capio mente.» Et S. Joannes Chrys.: «Vidistis dilecti, quam acute videant oculi fidei, si quando in Deum mens intenta fuerit? Vidistis quomodo a nulla re visibili decipi possint, sed habeant rectum rerum judicium, neque in ullo fallantur (1)?» e) Est tuta pharus maris hujus mundi, inter tot errorum dubiorumque procillas salutis portum ostendens; est stella matutina, quae suavi sua luce dissipat tenebras, atque problemata, quibus involvimur peremptorie solvit; est luminare majus cui omnes humanae disciplinae ancillari debent. f) Est specialissimum SS. Trinitatis donum atque effectus: eam Pater revelavit, docuit et promulgavit Verbum caro factum, animis inserit Spiritus sanctus, atque ad eam praedicandam conservandamque institutum est infallibile Ecclesiae magisterium. g) Est rationis humanae gratia auctae nobilissimus flos, homagium, obsequium, holocaustum, quo fidelis praestantissimam animae facultatem auctoritati divinae subjicit, impendit atque immolat. h) Est pretiosissimus thesaurus, quem innumeri martyres inter crudelissima tormenta fuso sanguine conservarunt; quem milleni apostolici viri spretis divitiis, omnibus hujus vitae commodis posthabitis, ad alios attulerunt et inferunt. i) Est armatura invicta, qua instructae tot virgines et puellae, tot senes et infantes vicerunt mundum omnesque ejus insidias, fraudes et tyrannidem. *Haec est victoria, quae vincit mundum fides nostra* (2). k) Est denique tota supernaturalis: ratione originis ex gratia; ratione objecti, quod sunt altissima mysteria; ratione firmitatis assensus, quae superat omnem naturalem firmitatem; ratione fontis, qui est positiva Dei revelatio homini indubitata; ratione primi magistri, qui est ipsa Sapientia caro facta; ratione normae, quae est infallibile Ecclesiae magisterium; ratione effectuum in hac vita, et ratione termini seu visionis beatificae, ad quam aspirat.

ARTICULUS I.

De objecto materiali fidei divinae.

THESIS I.

Objectum materiale fidei non solum est Deus, sed etiam res creatae, sic tamen ut objectum attributionis et primum sit solus Deus prout est in se.

(1) Homil. 28 in Genes. n. 4.—(2) I Joann. V, 4.

26. *Nota.* I. In objecto materiali distingui potest subjectum ab objecto. Subjectum est res simplex seu incomplexa de qua aliquid creditur, quia est subjectum illius propositionis, quae creditur v. g. Deus est unus; ipsa vero propositio complexa et credita vocatur objectum, quia est id, quod fides immediate credit. In thesi sumimus objectum quatenus est subjectum. Omissis variis objecti attributionis definitionibus cum communiori sententia dicimus, illud esse alicujus virtutis subjectum attributionis, quod per se primo attingitur et ad quod omnia referuntur, quae sub illa virtute cadunt.

II. Thesis quoad primam partem est certa de fide: quoad secundam est communis theologorum contra paucos, qui vel negant dari objectum attributionis fidei divinae, vel, ut Durandus, in merito ad vitam aeternam constituunt: quoad tertiam, quatenus dicit solum Deum, prout est in se, non ut est glorificator, salvator, homo, esse objectum attributionis, est probabilior et communior.

27. I.^a Pars. Deus, etiam res creatae sunt objectum materiale fidei. Prob. 1.^o de Deo: a) S. Marcus (1) testatur: *Et respondens Jesus ait illis habete fidem Dei.* S. Paulus ad Thessalonic. (2): *Sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est.* b) Ex Patribus S. Cyrillus Hierosol. (3): «Illuminatorum fides Deum speculatur, Deum intuetur.» S. Augustinus (4): «Fidei unum et primum et maximum officium est ut in unum Deum credatur.» c) Fides est virtus theologica. Sed virtus theologica habet pro objecto materiali directo Deum. Ergo... Idem probatur a posteriori; nam constat ad Deum pertinere praecipuos fidei nostrae articulos, qui sunt de Deo uno, trino, creatore et justificatore; bonorum remuneratore et malorum vindice.

2.^o De creaturis. Illud dicitur objectum fidei, de quo aliquid praedicatur, quod fide infusa creditur. Sed de rebus creatis aliquid praedicatur, quod fide infusa est credendum. Ergo... *Min.* prob. Nam haec propositio: *Abraham genuit Isaac* (5), fide infusa credenda est, cum sit expressa in Scriptura, et similiter haec: «Beata Maria fuit sine labe concepta,» et similes in quibus objecta de quibus fit praedicatio creata sunt. Ergo etiam res creatae, etc.

II.^a Pars. Deus est objectum attributionis et primum. Prob. 1.^o S. Paulus ad Hebraeos (6): *Sine fide autem impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ad Co-

(1) XI, 22. — (2) I.^a I, 8. — (3) *Catech.* 5. — (4) *De civit. Dei*, l. 4, c. 20. — (5) *Matth.* I, 2.—(6) XI, 6.

lossenses (1): *Ut consolentur corda ipsorum instructi in charitate... in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi.* Apud Joannem (2) ipse Christus D. ajebat: *Creditis in Deum et in me credite.* Sed in prolatis textibus exhibetur Deus tamquam principale objectum ad quod tendit fides. Ergo...

2.^o S. Augustinus (3): «Mens cui ratio inest donec fiat »tantae felicitatis capax. fide primum fuerat imbuenda, in qua ut »fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei Filius »homine assumpto eandem fundavit fidem, ut ad Deum iter esset »homini per hominem Deum.»

3.^o a) Objectum primum et attributionis est illud ad quod omnia referuntur, quae sub aliqua virtute seu habitu cadunt. Sed omnia, quae per fidem creduntur eo tendunt ut melius cognoscatur et honoretur Deus. Ergo... b) In visione beatifica Deus est primum objectum. Ergo etiam in fide, quae ad visionem disponit et ducit; unde Joannes refert (4) Christum dixisse: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum;* quod tam de vita quam de patria intelligunt Patres. c) Lumen fidei est quaedam supernaturalis participatio divini luminis. Sed Deus ipse est primum objectum increati luminis per essentiam, et creati luminis gloriae. Ergo etiam luminis fidei.

III.^a Pars. Solum prout est in se. Prob. 1.^o Quia ita suadent testimonia Scripturae secundae partis, in quibus credere Deum esse seu ejus essentiam et attributa cognoscere ponitur ut primum et fundamentale reliquorum objectorum credendorum.

2.^o Cum S. Augustino ut ibid. 2.^o

3.^o Quia sicut visionis beatificae primum objectum est Deus ut Deus, ita et fidei, quae est via et dispositio ad visionem eique in patria succedit. Item quidquid per fidem revelatur, ad hoc ordinatur, ut Deus secundum se et secundum absolutam rationem suam perfectius cognoscatur juxta capacitatem praesentis status: ergo Deus secundum praedictam absolutam rationem deitatis seu prout est in se est objectum attributionis fidei.

28. Obj. 1.^o Non videtur quid conferat ad Dei notitiam, scire ex libro Tobiae (5), hujus canem blandimento suae caudae gaudere. Ergo non omnia, quae sunt fidei referuntur ad Deum.

Resp. Neg. *antec.* Confert illa notitia canis tamquam pars integralis historiae ad declarandam Dei providentiam, bonitatem et plenitudinem laetitiae familiae Tobiae a Deo redditam.

Obj. 2.^o Tridentinum (6) explicans quid sit necessarium

(1) II, 2.—(2) XIV, 1.—(3) *De civit.* l. II, c. 2.—(4) XVII, 3.—(5) XI, 9.—(6) Sess. 6, cap. 6.

credere ad justificationem obtinendam ait: «Et in primis a Deo justificari inpium per gratiam ejus.» Ergo non Deus prout est in se. sed prout est Salvator est objectum primarium fidei.

Resp. Explico *antec.* In primis relative ad praeparationem proximam poenitendi; conc. Absolute in se respective ad alia fidei objecta; neg. Praemiserat enim concilium verbis objectis: «Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum... fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt,» ubi primum motum liberum ponit in Deum simpliciter.

Obj. 3.^o Verba S. Joannis (1): *Haec scripta sunt ut credatis... et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ergo omnia credenda ordinantur ad salutem omnium, adeoque ad Deum ut Salvatorem.

Resp. Nego *consequentiam.* Ipsa enim salus nostra et consequenter cognitio Dei ut Salvatoris ut Incarnati ordinantur ad gloriam Dei ut Dei, seu ad Deum ut Deum.

Obj. 4.^o D. Thomas (2) sub titulo veritatis primae Deum dicit objectum materiale fidei. Sed veritas prima non est Deus ut Deus, sed aliquod ejus attributum. Ergo...

Resp. Dist. *min.* Veritas prima in dicendo; conc. In essendo; neg. Veritas in essendo est veritas transcendentalis, quae nihil addit naturae rei, et ita veritas prima nihil aliud dicit quam deitatem ipsam, et de hac veritate intelligendum est quod dicitur, Deum ut primam veritatem esse objectum primarium materiale fidei. Altera autem veritas seu in dicendo est speciale attributum et pertinet primario ad objectum formale fidei ut articulo sequenti explicandum est.

SCHOLION.

De objecto materiali fidei adaequato.

29. **Nota.** Objectum materiale alicujus scientiae vel habitus, aliud esse adaequatum simpliciter, quod complectitur omnia, quae attinguntur per actus illius scientiae vel habitus; aliud adaequatum attributionis, quod licet non attingatur immediate per omnes actus scientiae vel habitus, omnia tamen objecta illorum ordinantur ad illud melius et magis complete cognoscendum: sic v. g. in medicina objectum adaequatum attributionis est curatio hominis, hinc actus, quo medicus cognoscit naturam et proprietatem alicujus herbae, ideo pertinet ad medicinam, quia illa cognitio deservit ad sciendum modum melius curandi.

(1) XX, 31.—(2) 2, 2, Q. 1, a. 1.

Protestantes triplicem fidem distinguunt historicam, promissionum et miraculorum. Historica complectitur facta, quae in sacra Scriptura enarrantur, et praeterea tum comminationes divinas, tum poenas peccatoribus inflictas. Fides miraculorum respicit omnipotentiam divinam vim omnem creatam excedere potentem. Fides promissionum subdividitur in generalem, cujus objectum sunt promissa communia omnibus Christi fidelibus facta; et specialem, qua quis credit sibi imputatam esse justitiam Christi atque in numero esse justorum et praedestinatorum certissime tenet. Quoad hoc ultimum refutavimus eos in tractatu de gratia (1); in aliis, saltem modus loquendi improbandus est, nam fides Scripturae debita non est tantum historica auctorum, qui eam scripserunt, sed etiam et maxime Dei, qui Scripturam dictavit; nec fides promissionum habet, ut deinde probabimus, distinctum objectum formale a fide aliarum veritatum, ut enumeretur tamquam fides distincta, sicut nec fides miraculorum, quae, ut observat Suarius (2), quoad substantiam et essentiam non est nisi fides divina de omnipotentia Dei et veritate promissionum applicata ad aliquem casum particularem, ut generet fiduciam et alios actus necessarios ad miraculum impetrandum (3).

Dico I. Objectum materiale fidei adaequatum est quodlibet ens a Deo revelabile.

Prob. Omnis materia, quae informari potest a formali ratione objectiva alicujus habitus, pertinet ad materiale objectum ejus, et sub adaequato objecto comprehenditur. Sed quidquid potest revelari a Deo potest informari testimonio divino, quod est objectum formale fidei. Ergo totum hoc comprehenditur sub objecto adaequato fidei, quod est a Deo revelabile. Hinc, sub hoc sensu Deus est pars objecti materialis adaequati fidei, quod comprehendit quidquid de Deo et creaturis revelatum et revelabile est.

Dico II. Deus ut est objectum attributionis fidei est objectum adaequatum.

Prob. Omnia, quae creduntur per fidem ordinantur ad Dei cognitionem, ut diximus in thesi: ergo omnia creduntur tamquam aliquo modo divina, seu pertinentia ad Deum. Confirm. Inductione, nam in mysteriis divinitatis res est clara, in mysterio Incarnationis omnia versantur circa Deum. Angeli et homines sunt ad imaginem Dei et templum ejus, ab illo manant, ad illum tendunt et his titulis sub fidem cadunt. Idem dicito proportionem servata de reliquis creaturis, imo et de peccatis, quae a fide revelantur ut sunt aversiones a Deo, et ita etiam Deus respectu illorum est aliquo modo

(1) Disquis. IV. Thes. XXV.—(2) De fide. D. 8, sect. 1, nn. 2, 6.—(3) Suarius (ibid. nn. 3, 5) in fide miraculorum tria dicit consideranda: a) Fides de divina omnipotentia et veritate divinarum promissionum. b) Quaedam veluti applicatio hujus fidei universalis ad hoc factum particulare, qua quis judicet certo et credat se facturum miraculum. c) Fiducia quaedam exurgens in voluntate de miraculo obtinendo. De his a et c sunt necessaria ad miracula patranda, sed b potest quidem dari, non autem requiritur nisi conditionate, nempe si ex parte creaturae nihil obstet.

objectum, non ut finem ad quem ordinentur peccata, sed a quo avertunt ac consequenter ab eo judicanda, punienda ut divina ejus justitia occasione peccati magis splendeat et manifestetur.

Obj. 1.^o Deus potest decernere se nolle aliquid umquam revelare; vel nolle umquam cum intellectu creato ad actum fidei concurrere, licet hoc revelet. Sed in prima hypothesis dabitur aliqua veritas, nempe illud decretum, irrevocabile; in secunda vero dabitur aliqua veritas revelabilis non tamen fide divina credibilis (1). Ergo non quodlibet ens est revelabile, nec quodlibet revelabile fide divina credibile.

Resp. Prima hypothesis nos non tangit, qui non asserimus omne ens seu omnem veritatem cujusvis entis esse revelabilem, sed tantum omne revelabile posse esse objectum fidei divinae; nihilominus generatim ad utramque hypothesis dico: Trans. *maj.* et *min.* *Consequens dist.* Ergo non, etc., in illis hypothesis extraordinariis; trans. In ordinaria providentia; neg.

Obj. 2.^o Magis debent credi ea, quae majorem habent veritatem; sicut ea, quae magis bona sunt magis amantur per charitatem bene ordinatam. Sed esse Dei majorem et firmiorem veritatem habet quam res contingentes creatae. Ergo non aequali fide quae sunt Dei et quae sunt creaturarum creduntur.

Resp. Dist. *maj.* Si non eodem modo participant de objeto formali seu motivo credendi; conc. Si eodem modo participant; neg.—Dist. etiam *min.* Esse Dei habet majorem et firmiorem veritatem transcendentaliter, quoad suum esse indefectibile; conc. Formaliter ex motivo credendi majori vel firmiori; neg. Charitas magis amat Deum quam creaturas, quia bonitas infinita Dei, quae est motivum

(1) Lugo (de fid. D. 3, n. 3) ita disserit de objecto adaequato fidei: «Dixi, »quae revelari possunt, quia si aliquae veritates non possunt revelari, ut cognitio, qua Deus scit se nolle unquam aliquid revelare et alia hujusmodi, quae »essentialiter repugnant cum revelatione, de iis non est sermo; dixi etiam, »quae aliunde ex parte objecti non involvunt repugnantiam peculiarem cum assensu fidei; »quia si Deus nollet cum intellectu concurrere unquam ad assensum fidei; »posset Deus revelare hanc suam voluntatem, non tamen posset fides elicere »assensum circa illam, quia ipsa revelatio supponit, Deum nolle concurrere ad »illum assensum.»

«Dices, si revelatio illius decreti, vel concursus ad id credendum est impossibilis ex essentia sua; ergo non comprehenditur sub objecto illius decreti universalis, quia sicut Deus non dicit, nolo creare chimaeram, ita non dicit, nolo ponere revelationem impossibilem, vel dare concursum ad actum fidei impossibilem: si autem Deus non noluit illam revelationem vel concursum, jam non erit impossibilem ex repugnantia cum decreto divino universali.»

«Respondeo nos ideo loqui sub conditione, si vere Deus noluit ullam revelationem possibilem, vel concursum ad ullum actum fidei possibilem: nam posito illo decreto universali, jam argueretur, hanc revelationem talis decreti, vel fidem circa illud esse impossibilem; quia si esset possibilis comprehenderetur sub nolitione universali omnis revelationis, vel fidei possibilis. Si ergo decretum supponitur universale, fatendum est hanc revelationem, vel fidem talis decreti esse impossibilem, non quia Deus illam noluit, sed ex sua essentia.»

amandi, magis et perfectius habetur a Deo cui est essentialis, quam a creaturis, quae illam extrinsece participant; in fide autem, cum ejus motivum ultimum non sit veritas objecti crediti, sed veracitas et testimonium Dei, omnia aequae sunt credenda cum omnia revelata aequae participant hoc motivum et Deus aequae sit infallibilis in omnibus quae dicit, sive de se, sive de creaturis.

THESIS II.

Articuli fidei convenienter et sufficienter per symbolum traduntur.

30. Nota. I. Symbolum vi nominis collationem significat, at ex usu sumitur pro signo et tessera, quae militibus dabatur, ut sese invicem cognoscerent et dignoscerent hostes; si consistebat in verbis quibusdam (*santo y seña*) vocabatur symbolum, si in re aliqua erat proprie tessera. Hinc vocata est symbolum brevis collectio seu summa praecipuorum articulorum fidei christianae; nam est ex collatione Apostolorum, et signum, quo fideles sese invicem agnoscant et ab infidelibus vel haereticis dignoscantur. Symboli proprietates, recenset S. Augustinus (1): «Est symbolum comprehensio fidei nostrae simplex, brevis, plena, ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevis memoriae, plenitudo doctrinae.» Tria sunt symbola usus communis in Ecclesia: symbolum Apostolorum mutua Apostolorum collatione antequam per orbem dispergerentur confectum (2); recitatur quotidie pluries in officio a sacerdotibus et aliis ad horas obligatis et habetur in catechismis: symbolum Nicaenum seu melius Nicaeno-Constantinopolitanum a conciliis (3), quibus adornatum est contra errores illius temporis; diebus dominicis aliisque solemnibus dicitur vel cantatur in Missa: symbolum S. Athanasii, quod Ecclesia suum fecit et voluit singulis diebus dominicis ad primam recitari. Sunt et aliae professiones fidei seu symbola longiora, quibus Ecclesia vel necessitati majoris doctrinae, vel majoris detestationis alicujus erroris occurrit, ut sunt professiones fidei pro Praelatis, Magistris, pro Waldensibus, pro Armenis, etc.; sed ex omnibus primum Apostolorum «solum »necessarium est omnibus fidelibus, ut in uno contenta explicite »credant: alia vero duo (Nicaen. Athanas. a fortiori reliqua) necessaria sunt Magistris et Pastoribus ad praecavendos errores, et instruemdam plebem (4).»

(1) Serm. 115 de temp.—(2) Ita constans Patrum traditio. S. Leo: «Ipsa catholici symboli brevis et perfecta confessio duodecim Apostolorum est insignita sententiis.» (Mign. 54, p. 794). Vid. Suar. D. 2, sec. 5.—(3) Nicaen. I et Constantinop. I.—(4) Lugo. De fide D. 3, n. 61.

II. «Articulorum nomine intelliguntur communiter non omnes veritates revelatae... sed praecipua capita: nam sicut contextura corporis humani certis artibus et articulis sustinetur et connectitur, ne dissolvatur; sic in fide nostra sunt aliqua magis principalia et capitalia, quae si dissolverentur, facile reliqua fidei contextura rueret (1).» Sed si non omnes fidei veritates sunt articuli, unde desumenda differentia? Varie respondent auctores, alii dicunt esse specialem propositionem pertinentem ad fidem, quam oportet explicite credere; alii ajunt esse particulam fidei ab Apostolorum unoquoque ad compositionem symboli allatam, unde juxta hanc sententiam articuli sunt duodecim. D. Thomas (2) supponens, ut videtur, sententiam primam, nempe omnes veritates articulorum esse explicite credendas, rationem differentiae articulorum invenit in speciali difficultate ad propositam veritatem credendam. «Est autem, ait, objectum fidei aliquid non visum circa divina... Et ideo ubi occurrit aliquid speciali ratione non visum, ibi est specialis articulus; ubi autem multa secundum eandem rationem sunt cognita vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi; sicut aliam difficultatem habet ad videndum quod Deus sit passus, et aliam quod mortuus resurrexit; et ideo distinguitur articulus resurrectionis ab articulo passionis. Sed quod sit passus, mortuus et sepultus, unam et eandem difficultatem habent, ita quod, uno suscepto, non est difficile alia suscipere; et propter hoc, omnia haec pertinent ad unum articulum.» «Quaelibet explicatio istarum, ait Eximius (3), sufficit, cum magis sit de significatione vocis, quam de re.» Placet ergo sequi Angelicum magistrum, qui ex sua sententia optime probat communem numerum et divisionem articulorum fidei in quatuordecim, quam communiter scholastici tenent (4). Thesis est communis theologorum et certa ipsa Eccle-

(1) Ibid. n. 57.—(2) 2, 2, Q. 1, a. 6.—(3) De fide. D. 2, sect. 5, n. 10.—

(4) 2, 2, Q. 1, a. 8: «Illa per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita aeterna perfruemur, et per quae ducimur ad vitam aeternam. Duo autem nobis videnda proponuntur: scilicet occultum divinitatis; cujus visio nos beatos facit; et mysterium humanitatis Christi, per quem in gloriam filiorum Dei accessum habemus... Et ideo prima distinctio credibilium est quod quaedam pertinent ad majestatem Divinitatis, quaedam vero pertinent ad mysterium humanitatis Christi, quod est pietatis sacramentum (I.ª Timoth. III, 16).»

«Circa majestatem autem Divinitatis tria nobis credenda proponuntur: primo quidem unitas Divinitatis; et ad hoc pertinet primus articulus; secundo Trinitas personarum, et de hoc sunt tres articuli secundum tres personas; tertio vero proponuntur nobis opera Divinitatis propria: quorum primum pertinet ad esse naturae, et sic proponitur nobis articulus creationis; secundum vero pertinet ad esse gratiae, et sic proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam; tertium vero pertinet ad esse gloriae, et sic pro-

siae praxi, adversus Lutherum reprehendentem hunc morem Ecclesiae, quia ad credendum, dicebat, sufficit Scriptura sine additione symboli.

31. Prob. 1.º Et convenientia et sufficientia ex laudibus et virtutibus, quas concil. Tridentinum (1) Symbolo fidei tribuit: «Itaque ut haec pia ejus sollicitudo (ad extirpandas haereses moresque reformandos) principium et progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit, et decrevit, praemittendam esse confessionem fidei; Patrum exempla in hoc sequuta, qui sacratoribus conciliis hoc scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum apponere consuevere: quo solo aliquando et infideles ad fidem traxerunt, haereticos expugnarunt, et fideles confirmarunt. Quare Symbolum fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, tamquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum, et unicum, contra quod portae inferi numquam praevalent, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur; exprimendum censuit, quod quidem ejusmodi est.» Et subjungit Symbolum Nicaenum.

2.º Cum D. Thoma (2): «Ecclesia universalis non potest errare, quia a Spiritu sancto gubernatur, qui est Spiritus veritatis; hoc enim promisit Dominus discipulis (3), dicens: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sed symbolum est auctoritate universalis Ecclesiae editum. Nihil ergo inconveniens in eo continetur.» Et pari ratione nec insufficientis.

3.º Cum S. Augustino in nota prima, nam oportebat esse aliquam professionem fidei brevem, simplicem et plenam ad hoc ut facilius fides omnibus proponeretur. Etenim, ut arguit Angelicus (4), «sicut Apostolus dicit (5): *accedentem ad Deum oportet credere.* Credere autem non potest aliquis, nisi ei veritas, quam credat, proponatur. Et ideo necessarium fuit fidei veritatem in unum colligi, ut facilius posset omnibus proponi, ne aliquis per ignorantiam fidei a veritate deficeret.»

4.º Quoad sufficientiam confirm.: a) Verbis Christi apud Joan-

ponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis et de vita aeterna. Et ita sunt septem articuli ad Divinitatem pertinentes.»

«Similiter etiam circa humanitatem Christi ponuntur septem articuli, quorum primus est de incarnatione, sive de conceptione Christi; secundus de nativitate ejus ex Virgine; tertius de passione ejus, et morte, et sepultura; quartus est de descensu ad inferos; quintus est de resurrectione; sextus de ascensione; septimus de adventu ad judicium; et sic in universum sunt quatuordecim.»

(1) Sess. 3, Decr. de Symbolo Fidei.—(2) 2, 2, Q. 1, a. 9.—(3) Joann. XVI, 13.—(4) 2, 2, Q. 1, a. 9.—(5) Hebrae. XI, 6.